Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

me venit. Crisostomus. Ac si diceret: Ne estimetis totum consistere in meo baptismate. Si enim meum baptisma perfectum esset, alius non veniret post me aliud baptisma daturus. Sed hoc preparatio est illius, et transibit in primo ut umbra et ymago. Sed quem oportet eum qui veritatem imponet venire post me. Si enim post me hoc esset perfectum, nequaquam secundi locus quereretur. Et ideo subdit: Qui ante me factus est, id est honorabilior et clarior. Greg. Sic nimirum dicit: ante me factus est, ac si dicatur: ante positus est mihi. Post me ergo venit quia postmodum natus. Ante me autem factus est quia in prelatus. Crisostomus. Ne autem existimes comparabilem esse excellentiam huius, incomparabilitatem ostendere volens subiungit: Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calciamenti. Quasi dicat: In tantum est ante me ut ego nec in ultimis ministrorum vocari dignus sim. Calciamentum enim solvere ultimi ministerii res est. Aug. Unde et si dignum se diceret tantummodo corrigiam calciamenti solvere, multum se humiliasset. Greg. Vel aliter. Mos apud veteres fuit ut si quis eam que sibi competeret accipere uxorem nollet, ille ei calciamentum solveret qui ad hunc sponsus iure propinquitatis veniret. Quid ergo inter homines Christus nisi sancte ecclesie sponsus apparuit. Recte ergo Iohannes se indignum esse ad solvendam corrigiam eius calciamenti denunciat, ac si aperte dicat: Redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi inmeritus non usurpo. Quod tamen intelligi et aliter potest. Quis enim nesciat quod calciamenta ex mortuis animalibus fiant? Incarnatus vero Dominus veniens quasi calciatus apparuit, qui in divinitate sua morticina nostre corruptionis assumpsit. Corrigia ergo calciamenti est ligatura misterii. Iohannes ergo solvere corrigiam calciamenti eius non valet, quia incarnationis misterium nec ipse investigare sufficit. Ac si patenter dicat: Quid mirum si mihi ille prelatus est, quem post me

quidem natum considero, sed nativitatis eius misterium non comprehendo. Orig. Quidam vero non inepte dixit hoc sic intelligendum: Non sum ego tantus ut causa mei descendat a carnalibus magnalibus ad carnem, quasi calciamentum suscipiat. Crisostomus. Et quia Iohannes cum decenti libertate ea que de Christo sunt omnibus predicabat, ipsum evangelista et locum designat dicens: Hec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Iohannes baptizans. Non enim in domo neque in angulo Christum predicabat, sed Iordanem transiens, in media multitudine presentibus omnibus qui ab eo baptizabantur. Quecumque vero exemplariorum certius habent in Bethabara dicunt. Bethania enim non ultra Iordanem neque in deserto erat, sed prope Ierosolimam. Glo. Vel due sunt Bethanie: una trans Iordanem, altera citra, non longe a Ierusalem, ubi Lazarus fuit suscitatus. Crisostomus. Hoc autem et propter aliam causam designat. Quia enim res non antiquas narrabat, sed ante parvum tempus contingentes, presentes et videntes testes facit eorum que dicuntur, demonstrationem a locis tribuens. Alchuinus. Bethania vero domus obedientie interpretatur, per quam innuitur quia per obedientiam fidei omnes ad baptisma debent pervenire. Orig. Bethabara vero interpretatur domus preparationis, et convenit cum baptismo preparantis Domino plebem perfectam. Iordanis autem interpretatur descensus eorum. Quis autem erit hic fluvius nisi salvator noster, per quem ingredientem in hunc mundum mundari convenit, non suum descendentem descensum sed humani generis. Hic segregat donatas a Moyse ab his que per ipsum donantur sortes. Huius rivuli letificant civitatem Dei. Sicut autem draco latitat in egyptiaco flumine, ita deus in isto. Pater enim est in filio, et qui purificantur illuc ubi se lavent, obprobrium Egypti deponunt, ac apti ad perceptionem hereditatis fiunt, et non a lepra mundantur, et duplicis capaces sunt gratie, ac parati fiunt